

§. II.

Quid *dominium* sit? quid *dolus* isque *malus*? quid *dominium transferre*? vulgo notum est. Idem de vocabulo *contractus* quidem dicendum; interim tamen, ut statum controuersiaē rite formemus, sequentia præmittenda erunt. Scilicet considerabimus materiam de translatione domini in contractibus dolo alterius initis, an & quando illa translatio obtineat? partim iuxta principia juris Romani & hypothesein DD. qui ad illud jus commentantur, partim quoque deinde iuxta mores Germanorum & praxin nostram hodiernam.

§. III.

Primo videndum, quid iuxta leges Romanorum & ex communi hypothesei DD. obtineat? ubi omnis difficultas ex opinionibus DD. diuersis, qui ad illas leges commentati sunt, prouenit. Contractuum, qui pactis contradistinguebantur, alii erant *bonæ fidei*, alii vero *stricti juris*. Quod contractus bonæ fidei adinet, in præsentī materia eo respiciendum esse dicunt, utrum *dolus causam dederit contractui*, an vero *in illum saltē incidit*. Hi quoque termini noti sunt & hinc circa illorum explicationem nos detinebimus,

§. IV.

In contractibus *stricti juris* dominium transferri dicit communis DD. schola, idque siue dolus causam contractui dederit, siue in illum incidit, Zæf. *ad tit. ff. de dolo malo num. 13.* Struu. *S. I. C. ex 8. th. 32. & 34.* Lauterbach aliique *ad tit. ff. de dol. mal. (v. infra §. XI.)* Probationis loco adferunt *l. 36. ff. de V. O.* ubi Ulpianus: *si quis, cum aliter conuenisset eum obligari, aliter per machi-*
na-